

LECTORI BENEVOLO

FELICITATEM

PRECATUR

CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDER,

Sexta iam vice, publicos ad vsus prodit Bi-
 bliotheca Iuris Selecta STRUVIANA.
 Quam Editionem iussu & voluntate illustris
 Auctoris iterum procuravi, multa emen-
 dans, varia ex optimæ notæ antiquis & re-
 centioribus libris addidi. Quam operam,
 & qua potui accuratione perfecì, cum mei
 iam sit officii tractare & laudare libros, cum-
 primis iuridicos, dum selecta ingenia ad se-
 riem huius Bibliothecæ, literarias subinde
 exegerint recitationes, qua occasione, præ-
 cipuos libros iterum curate inspexi editio-
 numque varietatem ac præstantiam & alia
 quæ huc faciunt, annotavi. Ingenue tamen
 profiteor plura adiici potuisse, nisi Biblio-
 polæ honesti viri, rationibus, qui portatilem
 librum voluit, Selectæque Bibliothecæ elo-
 gio aduersum id credidissem. Licet autem
 multis omnino locis emendatior iam sit Bi-
 bliotheca, potuit tamen humana fieri in-
 considerantia, vti minus recte quædam posi-
 ta reliqua manserint, qua in re ab omnibus
 de natura & indole rei literariæ & librariæ
 satis